



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

4. Et Arminio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

sum. Vnde Tiberius proximo anno in Germaniam missus, cum animadverteret, Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidisse, nihil non de consilij sententiâ egit; semper alias sui arbitrij, contentisque se uno, tunc, præter consuetudinem, cum pluribus de ratione belli communicavit; curam quoque solito exactiorem præstítit. Suetonius. in Tib. c. 18. Sed et si culpâ Vari ignominiosa clades contigerit; mansit tamen manetque in pluribus locis celebribus memoria nominis ejus: nam *Varisberg*, vulgo *Forstenberg*, nobilium Virginum Collegium in Cliviâ, *Vari montem*, Pighius in Hercule Prodicio; *Varburgum*, insigne ditionis Paderbornensis oppidum, *Variburgum* Serrar. lib. 3. rerum Mogunt. notat. 29. ad vitam S. Bonifacij, interpretantur. Nec minori ratione sunt qui putent, *Varenholtum* in comitatu Lippiensi; in diœcesi Monasteriensi *Varendorpium* urbem, & *Varlariam* Præmonstratense cœnobium à Varo appellari, atque illud *Varipagum*, hoc *Varicastra* significare.

4. ET ARMINIO, de quo dissimili plane Varo Vellejus. Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptius ingenio, nomine Arminius Sigimeri principis gentis ejus filius, ardorem animi vultu oculisque præferens, assiduus militia nostræ prioris comes, & jam civitatis Romanæ jusequestrémque consecutus gradum, segnitiam ducis in occasio nem sceleris usus est, haud imprudenter speculatus, neminem cele riū opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem. Primò igitur paucos, mox plures in societatem consilij recipit; opprimi posse Romanos & dicit, & persuadet; decretis facta jungit, & tempus insidiarum constituit. Sunt qui ad Arminium nostrum ex militiâ Romanâ, in quâ

D

ductos



ductor popularium meruerat, notum & celebrem in Vrbe  
respexisse velint Virgilium. lib. II. Aeneid. v. 642.

*Deycit Herminium, nudo cui vertice fulva  
Cæsaries, nudique humeri; nec vulnera terrent.*

Postquam multa Arminij facta insignia Tacitus. I. & 2.

An. memoravit, præclarissimo immaturum ejus obitum elo-  
gio prosequitur. Ceterum Arminius abscedentibus Romanis, &  
pulso Marobodo, regnum affectans, libertatem popularium adver-  
sam habuit: petitusque armis, cum variâ fortunâ certaret, dolo  
propinquorum cecidit, liberator haud dubiè Germanie, & qui non  
primordia populi Romani, sicut alij reges ducésque, sed florentissi-  
mum imperium lacerasset: prælijs ambiguus, bello non victus,  
septem & triginta annos vitæ, duodecim potentia explevit; ca-  
niturque adhuc apud barbaras gentes.

5. ET CAMPO IN MEDIO. Lips. Mollerus. Lin-  
denbrochius. Hamelmañus. Reineccius. Serrarius. Isac. Pon-  
tanus. Calvisius. Pideritius. Stangevolius. I. I. suprà § 2. cita-  
tis. Hi omnes inter monumenta victoriæ de Romanis repor-  
tatæ numerant campum, seu jugi planitiem, vulgo *Vintfeld*,  
appellatam haud dubiè à victoriâ; nam vincere Germanis  
*Vinnen* dicitur; verique simile videtur, de campo hoc lo-  
qui. Tacit. lib. I. An. *Medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut*  
*restiterant, disjecta vel aggerata.*

6. PVBES GERMANA. Tacit. I. An. Suet. in  
Aug. c. 23. Flor. Vellejus. ll. cc. Verè Germana pubes non  
natione tantum, verùm etiam virtute, cuius cum aliàs sæpi-  
simè, tum in prælio Variano illustre specimen dedit; falsò  
autem & immerito de Germanis Vellejus scribit, *quod nisi*  
*expertus vix credebat, in summa feritate versutissimi, natumque*  
*mendacio genus.* Alienissima hæc calumnia ab indole, & mo-  
ribus